

aphorif. 43. sect. 2. & ratio ipsa dicitur. Sunt enim spuma causa duae: quemadmodum praclare praclarissimus Hippocratis interpres Galenus in comment. hujus aphorismi monet: Una materialis: eaque duplex: spirituosae scilicet & humidae: altera efficiens: & itidem bipartita: calor nimirum ac motus localis: quarum causarum impetu utraque materia in multas veluti particulas confringitur, miscetur, unumque corpus constituitur. Materia humida in ore, huicque annexis tonsillis consistit: & est saliva. Spirituosa à pulmone & corde proficiscitur: estque fuligo. Itaque respirationis via intercepta, calor cordis inflammatur: fuligo cumulatur: cumque liberè expelli nequeat, violenter à pulmone extruditur: salivali humori permiscetur, eique quasi circumplicatur: unde spuma. Quidsi ad spumae hujus generationem etiam epilepticum paroxysmum aliquid momenti attulisse diceremus? Notum siquidem lippis est atque tonsoribus, epilepticorum ora spumare: & quidem, ut Galenus ibidem tradit, ob vehementiam motus. Indicatum quoque antea, Adolescentem nostrum multoties epilepticis correptum fuisse convulsionibus. Quodsi ergo ob tetras malignasque exhalationes, principium nervorum vellicantes, alijs temporibus

ribus